





POSITIONES INAUGURALES,
DE
RESTRINGENDA
PRAXI
EXORBITANTE,

22
6
M

1732, 4.
1

(32)

QVAS
DEO CLEMENTER ASSISTENTE,
ET
ILLUSTRI FACULTATE JURIDICA CONSENTIENTE,
ANNO MDCCXXXII. D. III. APRILIS,
P R Æ S I D E
RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO,
DN. ERN. JOH. FRID

MANZEL,

JUR. & PHIL. DOCT. ATQVE INSTIT. PROF. ORD.
FACULT. JURID. HOD. DECANO,
PRO SUMMIS IN JURE HONORIBUS,
IN ACADEMIA PATRIA,
H. L. Q. C.

ANTE ET POSTMERIDIEM
DEFENDET

PETRUS SEDLZE, ROSTOCH.
JUR. CAND.

R O S T O C H I I,

Typis IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.



STATUTES IN VIGOR

REVISIONS

EXORDIUM

PRO OBTINENDO

MAJORE FACULTATE

AD HOC

DE FACULTATE

PRO OBTINENDO

MAJORE FACULTATE

AD HOC

PRO OBTINENDO

MAJORE

FACULTATE

AD HOC


PRO OBTINENDO

STATUTES IN VIGOR

REVISIONS

EXORDIUM
PRO OBTINENDO
MAJORE FACULTATE
AD HOC
DE FACULTATE
PRO OBTINENDO
MAJORE FACULTATE
AD HOC
PRO OBTINENDO
MAJORE FACULTATE
AD HOC
PRO OBTINENDO
MAJORE FACULTATE
AD HOC





Ecum constituens conscribere
dissertationem inauguralem,
percurrensque Juris materias,
in eam incidi meditationem,
quod multa dentur in praxi
exorbitantia, id est talia, quæ
ultra intentionem Legislato-
ris, vel Germaniæ Praxeos,

in multam perniciem a nonnullis extenduntur.
Hinc animum capeffivi elaborandi positiones in-
augurales: *De Refringenda Praxi exorbitante.*
Sunt autem exorbitantia talia, quæ sunt extrali-
mitanea, quæ sunt irregularia, quæ sunt enor-
mata & propemodum absurda, ut loquamur cum
ZASIO; Imo omnia capit qui intelligit illud vul-
gatum: Quæ contra communem juris rationem
sunt constituta ea non sunt trahenda in conse-
quentiam; id quod fere verbotenus se fundat in
legibus 14. 15. 16. ff. de LL. Hæremus etiam
passim

A 2

passim in tali luto, quod scilicet Nostri JCi & Judices vel Jus singulare extendant ultra intentionem statuentis; Vel argumento Legis utantur fallaci atque fragili; Vel Consuetudinem sectentur inadmissibilem; Vel Juri Romano insistant nimis tenaciter; Quæ omnia arguunt Praxin exorbitantem. Facile est dicere: Ubi eadem est ratio, ibi eadem est legis dispositio, & idem est an verbis legis an ejus sententia aliquid contineatur, juxta *l. 6. §. 1. ff. de V. S.* Sed non omnium ingenium & judicium adeo est subactum, ut possit evitare quatuor terminos. Oportebat aureis regulis insistere JCos, illis nimirum quæ exorbitare prohibent v. gr. Odiosa sunt restringenda: Privilegia sunt strictæ interpretationis: Jus singulare non patitur argumentum; Et quæ sunt aliæ. Quamvis non negem, etiam has regulas multis periculosis explicationibus esse obnoxias; Quod enim ad primam, non omnes sciunt rite definire, odiosum & favorabile, unde interdum fit collisio eorum quæ alteri parti sunt odiosa & alteri favorabilia. Quoad secundum, multi etiam dantur dissensus in Praxi vid. *Cl. D. BARTHIUS Diss. 727.* ubi habet Responsum Helmstadenſe, quod idem videre licet apud *Exc. LEYSERUM, Medit. ad Pand. Spec. 10. med. 3.* Et ut dicam quid ipse sentiam, multa dependent a genuina interpretatione *l. 3. ff. de Conſtit. Princip.*

Ex

Ex qua elicere DDbus placuit distinctionem, inter beneficia, quæ late, & privilegia strictè sic dicta, quæ strictè sunt interpretanda, cum tamen dictio: *plenissime interpretari debemus*, merito cum Ill. BOHMERO, *Præceptore meo æternum venerando*, in *Jure Digest. tit. de Const. Princ. §. 10.* sic accipienda, quod curandum sit, ut Principum privilegia effectum habeant, nam illos cum subditis lusisse non erit præsumendum, sicuti & indecens esset futurum, si Principum intentionem frustrari vellet maleficus & avarus interpres, tutissimum erit ad avthenticam recurrere interpretationem vid. l. 191. ff. de R. J. Evitetur itaque sollicitè Scylla & Charybdis in doctrina de interpretatione privilegiorum, quæ scilicet nostro seculo ad summam subtilitatem usque traditur. Possent plura generalia huc spectantia proferre, sed nolo in præfamine multus esse, propro igitur ad ipsam tractationem, quam disponere libuit juxta ordinem Institutionum, ita ut exhibeatur Praxis exorbitans restringenda

Sect. I. In Jure Personarum.

Sect. II. In Jure Rerum.

Sect. III. In Processualibus.

Sect. IV. In Criminalibus.

Faxit DEUS ut fiat feliciter!

SECT.

SECTIO I.

DE
RESTRINGENDA PRAXI EXORBI-
TANTE IN JURE PERSONARUM.

§. I.



Iaceat huic Sectioni in fronte ponere meditati-
onem de *Consuetudinibus*; Exorbitat certe Praxis
in conceptu consuetudinum, nam si fontes
earundem inspexerimus, vitiosissimi illi sunt:
Si requisita rimamur, lubrica illa apparent;
Non enim longus & centies repetitus usus sanare potest
vitium alicujus rei, & quod ad tacitum summæ Potestatis
consensum, impuberes etiam sentiunt, quod Princi-
pes passim ad impossibilia in hoc capite obligentur: Ra-
tionabilitatem autem denique captare ridiculum est, quo-
ties scilicet versamur circa consuetudinem contra legem,
eo ipso enim Legem eandem irrationabilitatis arguimus.
Subscribo igitur in hoc passu simpliciter dictis & doctri-
næ DN. PRÆSIDIS, qui in *Pandect. Jur. Meckl. Spec. pri-
mo* amplioribus excussit, usum distinctionis inter consue-
tudinem *contra legem* & *præter legem*. Restringatur itaque
Praxis vehementer exorbitans in voce: *Hier aber spre-
chen wir so*; Evilegimus denique ex somno illo quem
conciliavit male applicatum Jus Romanum ad nostras Res-
publicas.

§. II.

Jam ad casus speciales per succinctas positiones ex-
ponendas, tales nimirum in quibus Praxis, si non uni-
versalis, tamen ex mente nonnullorum stabilienda, ex-
orbitat; Nam & hoc præsignificare utile erit, quod sub
vocabulo *Præcos*, in rubro nostro intelligamus interdum
Praxin

Praxin antiquam, quam restrinxit jamjam moderna, interdum judicata singularia; Ita enim cum rebus nostris est comparatum, ut sub nomine Praxeos, universalia & ubique recepta intelligi nequeant, proh dolor enim, datur praxis contra praxin. Verum ipse videat B. L. ex inductione, quid nostra intentio vehat.

S. III.

*Servos & mancipia ex captivis hostibus facere, Romanorum ratio status jubebat, & quia manu captos servatosque illos, sibi capiebant, quos & occidisse olim licuisset, immani savitia adversus eosdem uti, non judicabant iniquum; Solebant enim ita quasi argumentari: Cui mortem ceu omnium savitiarum punctum inferre integrum est, in illum licent omnia quæ in gradibus sub morte stant. Hinc illud pessimum Jus vitæ & necis in praxi tolerabatur & Magistratui non licebat occisorum servorum habere rationem. Verum Divus Antoninus magis sobrie philosophabatur & illam exorbitantem licentiam coercebat in tantum, ut impune post ea tempora nemo potuerit occidere servum suum. Hæc sunt vulgata. Nostri majores equidem nunquam ad talem savitiæ gradum processerunt, interim tamen habuerunt homines ita proprios, ut non multum a Romanorum mancipiis differrent. Restricta itaque per Dei gratiam & Christianismi lucem hæc antiqua Praxis est & quæ apud nos in homines proprios licent, sunt tolerabilia, præfertim quia, ceu DN. PRÆSES in *Pandect. Jur. Meckl. Spec. 2.* monstravit, omnia redeunt ad censuram Superioris, coram quo stare potest etiam contra Dominum suum homo proprius. Qui hæc dicta juxta classes illas Jurium connubiorum, contractuum & testamentorum considerat, habebit exorbitantem antiquam & ad sana reductam praxin modernam. Nec putamus quod restrictionibus opus sit, aut enim præjudicalem quaestionem.*



onem movere deberemus: An liceat habere homines proprios? Id quod tamen fieret sine utilitate & negativæ pondere; Aut consentiendum Praxi, quæ non amplius contubernia sed conjugia sistit, quæ in propriis contrahere & de illis testari in genere concedit.

§. IV.

Quod autem ad propagationem hujus ordinis hominum, neminem amplius offendet, quod dentur homines proprii per nativitatem tales, pro nostro rerum statu enim filius sequi potest & in hac classe conditionem patris & matris; Romani contra graviter hallucinati fuerunt, quod in servos ex contubernio progenitos; qui nunquam hostes Reipubl. fuerunt, quique mancipia appellari nequibant, eundem statuerint rigorem, quam ipsis patribus imponere solebant, vid. hoc vitium status more suo taxans *B. Baro de PUFENDORF de offic. hom. & civ. Lib. 2. Cap. 4. §. 4. sqq. Conf. Ill. BOHEMERI Dissert. de singulari commodo servitutis perpetue prætemporaria.*

§. V.

In quæstionibus de legitimis partus temporibus, vehementer veremur, ne Praxis exorbitet. Sancta nobis omnino sunt, quæ circumferuntur. *Partus tempora sunt incerta.* In dubio pro partu: Omnis præsumtio est delicti exclusiva: *Man muß lieber neun ehrlich als einen unehrlich machen. &c.* Verum tandem in aliquo subsistendum esse remur. Fides merito est habenda Artificibus Medicis, danturque omnino præcipitantia & retardantia; Sed modus sit in hac Philosophia, sint certi denique fines. Separandi autem erunt casus, partus scilicet præcipitati & retardati; Circa illum omnia redibunt ad foetus editi conditionem, vitalitatem & debitam integritatem, unde si de foetu robusto, & sub abortu nomine non veniente sermo fuerit, satis sumus gratifici, quod

quod initium septimi mensis admittamus; Hinc exorbitant, quæ dicto casu de mense sexto & infra, concedi a nonnullis volunt. Quod autem ad retardationem, limites satis ampli positi videbantur *arg. Nov. 39 C. 2.* in initio mensis undecimi, imo ne videremur iniqui (mulierum enim quis non misereatur *l. 12. §. 1. C. qui pot. in pign.*) cum B. STRYKIO admittere duodecimestrem, haud erimus morosi; Verum in ulteriora consentire & cum GOTHOFREDO *in notis ad d. Nov. 39. in fin.* viam sternere credulitati super legitimitatem partus, tredecim imo quatuordecim mensium, nobis est difficile. Veneramur interea magnum Nomen *Illustris Medici Helmstädtensis HEISTERI*, qui Anno 1727. publicavit dissertationem, *de partu tredecimestri legitimo*, at illud tantum volumus, ut tali casu oblato magis eatur in rem praesentem, magisque discernatur quaestio de possibili ab illa de probabili in hoc subjecto; Per ingenium enim, quod cornucopiae est argumentorum, eo deveniret hæc causa, ut nullum inventiatur unquam exemplum & iudicatum, in quo contra partum tredecimestrem pronuntiatum fuerit, vel pronunciabitur unquam; Imo etiam si contra femellam militent gravissima indicia, tamen in favorem partus, argumento a possibili ubique iudicabitur. Legatur interea *diff. illa Heisteriana*, quæ in rubrica ita pergit: Et quod nullum certum tempus partui possit praefiniri.

§. VI.

Quomodo igitur restringenda erit hæc Praxis exorbitans? Videtur responsio esse in allegata nota Gothofredi, verbis: *Hæc tamen in exemplum facile trahi non oportet.* At dormire potuisset Gothofredus cum hæc scriberet, nihil enim, ceu jam monitum, exinde fluit. Nam Legem ponere non licebit JCTis propter possibilitatem de qua scripsimus; Medici nunquam contra femi-

B

nam

nam illam respondebunt, propter possibilitatem. En igitur bivium in quo stamus; Incumbet itaque Aetori adversus talem feminam probatio, quod adulterium commiserit, vel tempore luctus luxuriose vixerit; Sed risum teneatis amici! Utut enim quis liquido probare posset, viduam e. gr. luxuriose vixisse, tamen pro partu ex dicta probabilitate pronunciabitur; filius enim in tali matrimonio natus censetur, licet mater de adulterio convicta, vel ipsa contrarium dicat *l. 11. §. 9. ff. ad L. Jul. de Adult. l. 5. ff. de in Jus voc. l. 29. in f. ff. de Probat.* Jurisprudencia igitur huic negotio impar est, & veremur ne ex Nota ad Novellam dictam nobis contradicatur, si statuamus, restrictionem ita esse faciendam, ut post decimum tertium mensem, nulla amplius superfit quaestio; Quia enim etiam unus potest videre id quod melius est *l. 1. §. 6. ff. de J. V. E.*, & quia unius Doctoris opinio liberat a calumnia, liberabitur etiam femina, decimo quarto mense pariens, ab adulterio, quia tutius erit absolvere nocentem, quam condemnare innocentem. Haecenus igitur ita ex Legibus & Doctoribus erit dicendum; Partus editus intra mensem decimum quartum, est sine omni formidine oppositi illegitimus, Manum de hac tabula.

§. VII.

Matrimonium non ita esse actum mere facultatis, ut quis cum quavis possit coire, ipsa natura, & clarissus litera Divina docet atque inculcat. Dolemus autem quod circa doctrinam de incestu, & graduum prohibitione & huc & illuc exorbitare velit praxis; Peccatur igitur & in defectu & in excessu. Facile dicam scribemus illis, qui orbitam corrumpunt ita, ut extravagari concedant, atque involare in gradus vere prohibitos; nam oleum illi perdunt & operam, & quae scribunt, non ex certa conscientia, sed ut DEUM offendendo inclarescant
in

in publicum protrudunt. Verum hac vice huic capiti me satisfacere posse, non video, licebit igitur alia occasione, cum DEO, mea cogitata exponere sub rubro: *Media via in materia de gradibus prohibitis caute tenenda.* Quoties autem de media via scribimus, significamus, quod dentur exorbitantes & dextrorsum, & sinistrorsum. Et sic se res habet. Nos hodie tantum allegare volumus quaestiones, hunc scopum ferientes, ad quas pro cathedra, si placebit dissentientibus, dabimus responsiones tunc etiam defendendas. Quæritur itaque:

An exorbitet Praxis:

Compravignorum Conjugium concedens?

Uxoris sororem ducere prohibens?

Gradus & non tantum personas prohibitas esse statuens?

Et utut gradus statuatur etiam prohibitos, tamen sine omni iudicio tantum numerans gradus, nec respiciens ad aliam in carnis copula latentem identitatem, vel dissimilitudinem? Conf. illa expressio: PRORSUS EADEM - RATIO, quam eum BÖHMERO graviter urget DN. PRÆSES, *Medic. ad Pandect. sacras med. ad V. T. 62.*

An computatio canonica sit taxanda, an vero laudanda? & quæ sunt alia, quæ in longam venire solent controversiam. Conf. BODINI, *diss. de restringenda libertate matrimonii inveniendi.*

VIII. Exorbitat præterea Praxis passim in materiis Matrimonialibus ita, ut tantum ad illas causas commentanti, non dissertatio, sed liber sub manibus cresceret; Quia autem actum agere nunquam placuit, remittimus B. L. ad STRYKIOS, THOMASIOS & alios, qui in actionibus viæ receptæ, & finium regundorum victoriam reportarunt, adversus nonnullos, qui limites justos mi-

grare erubescere haud voluerunt. Quia igitur ceu saepe jam monitum, restringere exorbitantem, nobis denotat: **Einen auf dem rechten Wege erhalten**, juvabit & hic indice digito monstrare quaestiones ad hunc rhombum facientes, & quidem eo animo ut in conflictu paratos nos exhibeamus, dissensuris exponere, cuinam sententiae subscribamus, simulque tentaturi, quomodo eandem adversus contraria tueri queamus.

Exorbitare igitur Praxis videtur nobis circa quaestiones:

An quoad condiciones impossibiles detur distinctio?

An copula carnalis admissio, impediatur Jus Parentum quoad consensum?

Quid Juris circa mutuum dissensum desponsatorum?

An castratus possit inire matrimonium?

Utrum Adulter possit ducere Adulteram?

An Benedictio Sacerdotalis sit de essentia matrimonii?

An plures sint divortii cause quam duae?

Sed sufficiant haec exercitii gratia.

S. IX.

Circa legitimationem & adoptionem extra orbitam evagatur nonnullorum Praxis minimum practicable. Universalia harum materiarum in quovis compendio profertant, hinc tantum allegare placet, quod videndum fit ne legitimatio per rescriptum Principis exorbitet contra jus quaesitum quod nec ipse Princeps auferre potest. Cavendum etiam ne nimium tribuatur regulae: *Adoptio imitatur naturam*; In quaestionibus scilicet, quoad aetates, feminas, castratos, & praeterea.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

DE
RESTRINGENDA PRAXI EXORBI-
TANTE IN JURE RERUM.

§. I.

Placet in hac sectione sine singulari & presso procedere ordine, & quidem per positiones circumscriptiores, quia prævideo & ex sciagraphia præsentio, fore, ut si omnibus adhuc scopum facientibus vellem satisfacere, meus urceolus degeneret & exeat in amphoram.

§. II.

Quæstio est: *An qui in possessione est vel quasi servitutis nihilominus in actione negatoria adversus se instituta teneatur probare?* Dissentiunt Doctores mirum in modum, & præsertim nostra academica Oracula, LAUTERBACHIVS & SCHOEPFFERVS in faciem sibi sunt contrarii. Praxis frequentior est, quod teneatur probare, & quod in hoc casu possessio non relevet a probando; Ratio est in favore libertatis & odio servitutum. Vid. III. WERNHER. *Observ. Vol. I. obs. 339.*; sed utut horum dictorum salva sit alias natura, exorbitat tamen Praxis, uni propositioni nimis inhærens, nimisque multas exinde eliciens conclusiones. Sunt vel erant plura in materia de servitutibus, quæ ad eundem redeunt censum, e. gr. quod causa requiratur perpetua; quod socius socio non possit acquirere servitutem; quod nequidem consentiente Domino directo & utili possit constitui servitus, juxta male intellectam corruptamque l. 15. S. fin. ff. de Usufr., quod Usufructuarius non possit acquirere proprietario &c. Quæ tamen omnia redeunt illorsum, quod nimis extensa sit

B 3.

regula



regula de favore libertatis : sed sic solebant Romani agere, arrepto principio interdum coecas inde eliciebant conclusiones : E. gr. actiones poenales non transeunt ad hæredes : Recte : sed , Ergo nec Actio L. Aquiliæ & aliæ quædam quæ ad satisfactionem privatam tendunt ; Quæ qualis, quanta ?

§. III.

In materia Testamentorum infinita sunt quæ meam ingredi possent meditationem. Ponitur Regula : Testamentorum solemnitates præcise sunt observandæ ; Recte : sed praxis quæ valde minoris momenti defectus se movere patitur ad pronuntiandum contra testamentum, exorbitat ; Non est equidem nobis animus ut visibilibus vitiis laborantia testamenta salvare velimus, verum tamen hoc volumus, quod non ad summam sollicitudinem usque omnia sint rimanda. Illustris est lex 183. de R. J. *Etsi nihil facile mutandum est in solemnibus, tamen ubi æquitas evidens possit, subveniendum est* ; Non equidem est animus solemnitatum rigorem plane infringere, justum enim est & elegans, ut omnia fiant ordine & decenter ; At quoties tales obveniunt circumstantiæ, quæ neglectum excusant, toties non inhærendum est solemnium putaminibus.

§. IV.

Quomodo exorbitet Praxis circa exhæredationes, non sumus allegare, quia tota materia de exhæredatione medico legislatore indiget ; Præsertim ea quæ de exhæredatione parentum circumferuntur, arguunt nostram incautam Juris Romani receptionem. Inter Christianos, quos omnes mori oportet ut Johannem Evangelistam, aliis remediis opus esset adversus immorigeros Sapien-
tibus satis. Quæstionem illam : *An illis causis XIV. similes vel majores liceat addere ?* Vix memorare placet, quia res per se clara est, quod nulla causa excogitari possit, quæ
non



non sub illis comprehensive staret; En usum distinctio-
nis inter interpretationem comprehensivam & exten-
sivam.

§. V.

Privilegiata Testamenta sunt illa in quibus non ad-
eo diligens observatio solennitatum requiritur. Habentur
communiter quinque species pro talibus. Quaritur
ergo: *Num exorbitatura sit praxis, si sexta vel septima & ultra
adderetur?* Et utrum plane cesset in hac causa regula: Ubi
eadem est ratio, ibi eadem est legis dispositio? Putamus
quod non, sed credimus, quod sustineri queat e gr. Te-
stamentum in navi, vel a puera in partu doloribus
sine arbitris masculis conditum; *Vid. DN. LEYSER, Medir.
Spec. XIV, med. 6.* Videtur equidem dissentire DN. BOH-
MERUS, in Thesis, quas junxit Tr. de conscribendis
dissertationibus & methodo disputandi; Sed solemus the-
ses ad conflictum parare, reservatis limitationibus.

§. VI.

Difficile sane interdum fit abstinere ab erroribus
pragmaticorum; & manere in idea thematis propositi;
Nolumus enim in illum nos intromittere Oceanum ex
quo FABER hausit amphoras, sed quilibet sagacior satis
videt, quorsum nostra tendat intentio. Differamus igitur
de Praxi exorbitante circa fragilitatem sexus feminini. Est
certe veritas divina & humana, quod muliebris sexus sit
in lubrico constitutus ita ut eadem ulna metiri eundem
qua metimur masculos, abiret a sobria applicatione Ju-
ris ad factum. Verum multa sunt, quæ ex Republ. Ro-
mana, quæ feminas honestas propter Zelotypiam, in gy-
næceo clauso continebat, ad nostram Germaniam cujus
filix ubique spectatum veniunt, veniunt spectentur ut
ipsæ, sine grano salis sunt tractata; Ut taceamus affe-
ctum Justinianæum, de quo testatur inter alios textus l.
12. C. qui pot, in pign. vocibus: *Mulierum quis non miscrea-
tur?*

zur? Hinc SCTum Vellejanum merito non effeet in usu,
 prouti & illud in integris Regnis, v. gr. Gallia, in mul-
 tis Rebuspubl. v. gr. Noribergæ diu fuit abrogatum;
*Vid. ILL. DN. de LUDEWIG JCTi Hallenf. Præceptoris no-
 stri honoratiffimi, labores de differentiis Juris Romani & Germa-
 nici circa hoc SCTum Exul.*

S. VII.

Exorbitat igitur Praxis, & in fragilitate concipien-
 da; Et ut novo exemplo utar, Curatela super feminas
 quæ in Saxonia & de Jure Lubecensi obtinet, diu etiam
 pro abrogabili fuit habita, ita ut in publicis Conventibus
 provincialibus desuper fit deliberatum, ceu testatur LEY-
 SERUS. An idem dicendum fit *de ignorantia Juris* pro
 cathedra ventilabimus. De Consensu uxoris circa oppi-
 gnorationem & alienationem rerum dotalium, haberemus
 etiam, quæ monere possemus, sed non est nobis, ut ite-
 rum inculcemus, sermo de *Jure exorbitante*, sed de *Praxi*
exorbitante.

§. VIII.

Exorbitat porro Praxis circa applicationem *SCTi Ma-
 cedoniani*; Jus Romanum pro genio Reip. fundatum e-
 rat super genuinam rationem status; Occasio condendi
 hoc SCTum, sive illam præbuerit, Macedo parricida, sive
 Macedo usurarius, idem nobis est, erat optima & lauda-
 tissima; Verum evigilemus quæso, ex fomno Romano
 & evolemus ex Italia in Patriam. Romani Patres duro
 Patriæ potestatis jugo premebant filios, & quia ad eman-
 cipandum non poterant cogi, *per Juris illius notoria*, su-
 spirabant atque gemebant sæpe filii sub illo onere, &
 utut XL. annos ætatis complevisset, uxoremque liberos-
 que haberent, tamen omnis hæc descendencia erat sub
 potestate illius superbi atque avari Capitis; Et hinc illæ
 lacrymæ, quod filii nonnunquam desperabundi & irri-
 tati pecuniam mutuo acciperent, de qua laute & pernicio-
 se vi.



se viverent; Imo quod vel urgentes creditores, insuper pravi usurarii, vel ex suo voto captandæ mortis infidiarentur Patribus, vel filiis nefandam præberent occasionem ut ære alieno obruti Patribus ad parricidium usque essent graves & infesti, *vid. §. 7. I. quod cum eo.*

§. IX.

Stetit igitur Respubl. Romana diu sine hoc SCTo, & nisi positum fuisset illud absurdum de difficultate emancipationis obtinendæ, nunquam fuisset opus hacce ordinatione. Videatur nunc Germania; Nostri Patres in sinu gaudent, quoties filii sibi ipsis prospicere & separatam œconomiam instituere possunt; Imo cogi possunt ad emancipandum, non secus ad fieri potest quoad consensum circa nuptias. Ergo casus ille de voto captandæ mortis in terminis Romanis non est dabilis; In genere autem juvenibus pinguiori prospectum est beneficio privilegii minorennitatis; Qui autem nonnunquam post annum XXV. sub patria sunt potestate sive sint masculi sive foeminae, communiter frugi sunt homines, qui quæque hætenus nondum potuerunt œconomiam separatam adornare; Si autem alii fuerint in exceptione ultra illam ætatem homines nauci, ex alio capite prodigalitatis vel notoriæ stultitiæ erunt non obligabiles.

§. X.

Mirari semper solemus doctrinam illorum, qui hoc SCTum etiam ad contractus minorennium retrotrahunt, cum tamen plane diversa sint subiecta filiusfamilias striete sic dictus in hoc titulo & minor, id quod uno ictu exinde etiam apparet, quod in concursu privilegii ætatis sit fortius hoc privilegio status, adeo ut contra minorem non detur exceptio SCTi Macedoniani, per l. 3. §. 2. ff. de SCTo Maced. Vid. interea multis STRYK. *Uf. Mod. tit. de SCTo. Maced. Conf. Jctorum Francof.*

C

RHODII

RHODII & REINOLDI dissertationes huc collineantes ex professo.

§. XI.

In materia de Probationibus Praxis passim exorbitat; Theses juris est solida atque seria, quod Probationibus clarissimis niti debeant decisa nostra; Sed perlustramus nonnulla: In quaestionibus de Testibus verum omnino est, quod aliqui homines propter affectionem in personam sint reprobabiles, vitio domesticitatis praefertim laborantes; Verum quia nemo habendus est facile pro tali qui salutis aeternae in gratiam amici sit immemor, exorbitant nonnulli Judices; Recte igitur *Exc. LEYSERUS* fluxit suam tractationem de Arbitrio Judicis unico fundamento doctrinae de testibus; Idem nonnunquam dicendum de affectione ad causam, id quod illustrandum erit casu nuper *Amplissima F.Cti Juridica* oblato, quem communicavit mecum benevole *DN. PRÆSES*: Dimicabant Vicinae Universitates B. & S. super districtum arborum saginationi suum destinatum zur *Wasthude*; Producebantur veterani testes a parte S, qui tamen in tantum erant, de illa universitate, daß sie bey der dann und wann vorkommenden Wast, ein Schwein, welches sie doch nicht allemahl hätten, mit einzujagen berechtigt wären; Urgebant B. inadmissibilitatem, sed pronunciabatur cum *FARINAC de Testib. Lib. II. Tit. 6. qu. 60. n. 501.* & *LEYSERO, Medit. Spec. 283. nud. 10.* daß die Zeugen zu admittiren.

§. XII.

Pergimus ad instrumenta, & notamus, quod thesis admodum bella sit, Notariorum instrumenta esse debere ad subtilitatem usque accurata, ita ut nihil omittatur; Sed quod ob minutissimum defectum e. gr. si omissa sit invocatio nominis divini, vel hora, nisi forte ab hora aliquid dependeat, postuletur statim a Doctores

bus juramentum suppletorium, exorbitantis est praxeos; ita enim semper erit procedendum, ut pedantissimum evitemus.

§. XIII.

In puncto probationis per libros mercatorum fieri solita, vah quomodo exorbitat praxeos! Introductum est hoc Jus favore mercaturæ, & fundat se in tali structura librorum mercatoriorum; quales ex summo fiunt artificio, & quidem ita, ut nisi quis ab initio falsarius fieri intendat, ne quidem consulto possit committere falsum. Ergo non adeo prodigaliter hoc Jus esset applicandum, ad quosvis libros & consignationes interdum valde tumultuarias. Ergo igitur exorbitavit praxis, ut non amplius respiciat ad principia, sed versamur hodie in exceptione duplici, scilicet partim a regula; *Propria scriptura pro scribente nihil probat, l. 7. C. de Probat.* partim ab illa illustri lege *lit. prator 3. ff. de Jurejur.* quæ centies se ad juramentum offerentem repellit.

§. XIV.

Habeat igitur nostro voto, Aut quilibet Vir probatæ fidei hæc privilegia; Aut nemini hoc tribuatur. Cur enim mercatoribus & opificibus hæc prerogativa sit tribuenda exclusis aliis patribusfamilias, qui data & accepta fideliter consignare solent, non videmus. Exorbitat igitur praxis, id quod iterum & iterum asseremus. Sed reservamus nobis ampliora ad oculum quoad historiam privilegii Mercatorum demonstranda. Putabit forte nonnemo, quod hæc de probationibus scripta rectius ad Processualia & sectionem sequentem debuerint reservari; Sed utut nos non habeat adeo contrarios, tamen sciat, quod nobis placuerit huc eadem collocare.

§. XV.

Quoad *hypothecas tacitas* atque legales recte struitur regula: *Quoties non est lex tacitam hypothecam concedens,*



dens, toties nulla datur tacita hypotheca, juxta *l. 6 in fin. C. de Bon. que lib.* Verum solent DDres inferere huic regulæ: *vel consuetudo & praxis*; Ergo latissimus est campus ex argumentis & cerebrinis apparentiis novam cum die fabricare legalem hypothecam; Id quod hætenus ad nauseam usque factum est. Recte igitur resistunt cordatiores huic excessui; sic enim e. gr. WERNHER. *Fol. 1. obs. 288. & obs. 328.* tales præteniones denegavit domino latidemium petenti & illi qui conditione furtiva periculum faciebat.

§. XVI.

De Juramentis flere nos jubet religio, imo maxime angustia instituti, secus enim tot dantur circa illas exorbitantiæ, ut mirum sit, non aliquando evigilare dormientes; *Authentica sacramenta puberum, canonizat* ad lacrymas usque, & testatur liquido, nos adhuc cantare illud: *omne juramentum quod salva &c.* Cantemus propter DEum illud: *Juramentum sequitur naturam actus*; Sed hæc in transitu; Prouti & de plane in desuetudinem rejecto juramento calumniæ generali non vacat differere. Transseat hoc cum cæteris erroribus.

§. XVII.

Circa donationes quingentos solidos excedentes dudum non potuimus tenere risum; Juris providentia est, ut evitentur donationes periculosa & nociva, ut taceamus aliud arcanum de testamenti factiõne sibi non adimenda; Hætenus bene; Sed en legis dispositionem claudicantem: Qui donat infra 500. solidos, nullo opus habet judice; Ergo pauperioribus, quibus lex prospicere maxime debebat, nulla cautela est constituta; Prudentia igitur Legislatoria debuisset geometricam determinare proportionem, ita ut cuivis liceret certam quantitate de centum donare, & non ultra; Exorbitat igitur Lex,



Lex, & magis adhuc praxis, quæ nunquam denegare solet confirmationem, sub illa clausula, *doch jedermann an seinen Rechten unschädlich*, quæ tamen nihil fere infert.

SECT. III.

DE RESTRINGENDA PRAXI EXORBITANTE IN PROCESSUALIBUS.

§. I.

Linquimus Jus rerum, quia urget tempus; In materia de modo procedendi tot habemus observanda, quot sunt culices, quando calet. Videantur Scripta von *Berbetterung des Justitz-Wesens*, qualia habemus multa farragine; Spectant illorum illa de *Pœnis mendacii* & alia quæ bilem moverunt nonnullis; Materia de *dilationibus*, de *contumacia accusationibus*, & de *remediis suspensivis* Medicum desiderant Principem; Hodie enim ita res comparata est, daß der Richter selbst ein *Werkzeug* seyn muß, zur *Berewigung* der Prozesse, weil er nicht anders kan, als so lange es dem Stylo gemäß, ob er gleich den *Schaltel* wohl mercket, alles einzuräumen, was nach der *Tour* der Prozesse gebeten und gemacht wird. Illustre exemplum restrictionis exorbitantium præbet Jus Mecklenburgicum, quod querelam nullitatis quæ jure Communi patet per XXX. annos, restrinxit ad VI. Hebdomades, quo magis enim visibilia sunt nullitatis vitia, eo rectius brevis potuit definiiri terminus.

§. II.

Juramentum appellatorium, quod & olim Advocati primæ instantiæ præstare in nostra Patria debebant, aliquid

quid operatur; Vellemus ut & detur eis Restitutions-Eyd, sicuti in Judiciis Oldenburgicis datur eis Revisions Eyd, & alibi ein Supplications-item Leuterungs-Eyd; Forte enim qui vellet mori ut Johannes Evangelista, abstraheret a frivole interposito remedio. Contra autem ridemus iterum, quod ob minutissimum defectum interdum remedia salutaria denegentur. Liceat mihi unicum allegare casum, quem in haud incelebri curia accidisse ex fida accepimus relatione; Est ibidem moris ut suspensivum amplectens projiciat statim zwey Schillinge; Projecterat aliquis tamen Groschen, silebatque pars adversa usque dum elapsum esset fatale, & obtinuit pronunciatum contra appellationem. En exemplum Restringendæ praxeos exorbitantis dum vult restringere.

§. III.

Clausula Prætoris generalis, quam oportebat esse salutiferam, lerna sit sæpe malorum; Aurea est illa, sed plumbeos nonnunquam parit effectus; Quilibet enim pumilio Judex superbe arbitratur: Justa causa mihi (nos poma notamus) videtur. Restringat igitur exorbitans licentia, & committatur hoc judicio interdum prudentiorum & vere impartialium. Verum cohibendus erit calamus, ne tota materia de Arbitrio Judicis fiat scriptiois objectum. Certum est, leges ita scribi non posse, ut omnes casus comprehendant, l. 10. ff. de LL. Ergo JCTis opus est; Proh dolor autem quod quilibet se fingat Juris Consultum.

§. IV.

Placet in specialibus unicum exemplum omnium saniorum exponere judicio. Thesis est: *Non præcise opus est, ut in Libellis exprimatur nomen Actiones.* O bellum asyllum ignorantia! Adeste Rabulæ! Venite ad hunc focum idiotæ! Fiat Libellus! Scribatur species facti! O tempora! O mores! Peccamus igitur dum excessum evitare volumus,
jam

jam in defectu; Exorbitat praxis, omnes enim libelli spirant actiones in factum, vel simplices narrationes & implorationes; Oportebat igitur non tantam ponere confidentiam in illam clausulam salutarem; Hinc illi mutati libelli, mutati status controversia. Vellemus igitur, ut ordinaretur, quemlibet libellantem exprimere debere sine alia formularum tyrannide, nomen actionis, & quidem paucis hisce e. gr. verbis; Wird demnach genöthiget wieder denselben anzustellen Actionem Mandati, Negotiorum gestororum - - &c. Et non sine gravi meditatione incidimus in hoc exemplum; Nam hæ actiones communiter confunduntur ab illis, quos natura fecit Practicos, præsertim si intelligunt ex schola Latinitatis quid significet *negotium*, & quid *gerere*; Cum tamen varias habeant differentias practicas, quas attendere cauti erat causæ Patroni. Necessitarem igitur quemlibet causam oraturum, ut inspiceret librum, scripturus libellum quem jam inter pocula se conscribillare posse credit, nihil curans illustria illustrium virorum vocabula, v. gr. STRYKII de Actionibus forensibus *investigandis & caute eligendis*; BOHMERI de differentia & *indole remediorum varia*; de *varia remediorum distinctione*. Hic Rhodus hic salta! Nam non omnes futuri processus erunt *in puncto debiti & injuriarum*; utut & circa hæc puncta, præsertim ultimum, cauta electio sit adhibenda.

§. V.

Juvat addere adhuc unum exemplum, quasi in superpondium; Sunt in nonnullis foris adhuc in usu *positiones*, quæ comites habent juramenta dandorum & respondendorum; Liceat autem scapham appellare scapham, & asserere, quod merito restringenda sit illa praxis, prout & in multis foris, v. gr. Saxonis, Brandenburgicis, Anhaltinis & aliis sunt abrogata. Ratio hujus abrogationis evidenter inde desumpta est, ne evilescant

scant juramenta & tot perjuriis aperiatur occasio. Testes sunt insignes & diu in foris versantes Judices & Advocati, quod raro vel nunquam sine longo nihilominus adhibendo deductionum & exceptionum circuitu, positiones finem fecerint litibus. Aut igitur statim tota causa alterius conscientia mediante juramento judiciali esset committenda, aut manendum in consueto itinere.

§. VI.

Prescriptio actionum limites habet valde tolerabiles, & nesciremus, quæ circa hanc causam moneremus; Unicum interea placet expedire; Actiones omnes, quæ tendunt ad vindictam, oportet esse brevissimas; Quo magis enim Christianos nos esse decet, quibus nec sol occidere debet, ante datam veniam, eo promptius definienda erunt talia, quæ spirant vindictam. Hinc recte sentiunt illi Practici, qui actioni injuriarum, qualis qualis etiam illa sit, terminum unius anni ponunt; Qui enim a die scientiæ, quod sit injuriatus, per annum potuit devorare contumeliam, ille eandem plenæ concoctioni conceditam esse sinat, suspectum enim se reddit talis firmulatis Patronus vindictæ privatæ quam affectavit, cuique quasi in subsidium, deficiente occasione, hoc judiciale remedium surrogare contendit. Consentiunt nobiscum MEY. *P. V. Dec.* 368. BRUNNEM. *ad l. 5. C. de Injur.* HAHN. *ad W. tit. de Injur. n. 13.* WERNHER. *Observ. Vol. 1. o. 56. § 232.* Conf. STRYCK. *de Act. for. invest. Sect. I. membr. 10. §. 48.* qui pariter non planè dissentit.

§. VII.

Denique de *beneficio competentia*, quod actorem non finit in solidum obtinere finem, in censum vocare constitui; Est Jus singulare vel etiam privilegium, quod nonnullis hanc tribuit exceptionem; Ergo non licebit per argumenta ire; Hinc quæ a militibus trahuntur ad Nobiles

Nobiles in genere, ad Doctores ut tales, ad Advocatos qui non sunt in numero, ea sunt praxeos exorbitantis: Quoties enim gravatur alius, toties privilegia sunt restringenda. Sed si dicendum quod res est, soepe confunditur jus, dasi man jemandens Salarium nicht mit Arrest bekümmern könne, cum privilegio competentia. Reipubl. interest, ut officiales publici sive politici sive ecclesiastici, etiamsi sua ex parte decoxerint, non removeantur ab officiis, utut interdum, coeteris partibus, idem fieri soleat; Ergo ipsis salarium est relinquendum, nisi adeo sit lautum, ut successive aliquid decerpi queat. Restringamus igitur distinguendo.

SECTIO IV.

DE

RESTRINGENDA PRAXI EXORBITANTE IN CRIMINALIBUS.

§. I.

Propero ad finem, & unum vel alterum extremo tamen digito quod hanc sectionem poterit ingredi. Non datur unanimis Doctorem Consensus circa numerum delictorum *Jure divino taxatorum*, in quibus non datur locus Juri aggratiandi; Absit restringere velle ea quæ expressos habent limites, unde plane contrarii sumus siis, qui homicidium dolosum numero illorum eximere fatagunt, a nativa enim verborum significatione non licebit nobis recedere; Sed absit etiam ea quæ forensia fuerunt facere universalia. Exempla sunt in promptu v. gr. de Bovis cornupeta domino, vid. SCHILTERUS, in *Exercit. ad Pand. ad tit. si quadrup.* de Sabbathi violatoribus &c.

§. II.

Eundem lapsum labuntur & illi, qui *Leges positivas universales* efficiunt ex mere forensibus; Exemplum famosum sit desumptum a furibus eorumque poena, quod

D

caput

caput exercet capita scrupulosa mirum in modum, qui divinam jus crepant, injustitiam ultimi supplicii impugnaturi; Seducuntur illi sine animo redeundi, argumento a proportione inter vitam hominis & rem reparabilem, & nolunt convinci rationibus a violata securitate & præscientia expressæ legis, quam contrahendo quasi suam fecerunt.

§. III.

Dum autem *de furtis* differimus, exorbitantem appellamus antiquam praxin, quæ furibus ad instantiam meretricis, vel post ruptum laqueum veniam concessit; Sed hæc sunt obsoleta; Rimemur nova & nostris temporibus ventilationi obnoxia. Disputatur de sensu *articuli* 162, *Const. Crim.* in quo statuitur in furtum tertia vice repetitum ultimum supplicium; Exorbitaret certe Praxis, si hunc articulum crasse vellet accipere. Videatur *Excell. Dn. KRESS*, qui in Commentario ad hunc articulum per deductionem ad absurdum demonstrat, quomodo restringenda sit praxis, quæ simpliciter numerare vellet facta, sine ullo habito respectu ad quantitatem, qualitatem, & utrum semel antea ob primum vel secundum punitus sit ille maleficus.

§. IV.

In *Crimine læsæ Majestatis*, præsertim crassiori, quod perduelles committunt, exorbitavit Praxis nonnunquam hætenus, quoad derivationem poenæ in liberos. Sed omnia evenerunt ex ignorantia rationis status Juris Romani. In Republ. illa præsertim cum esset democratica, vehementer vigilandum omnino fuit in illos, qui Reip. detrimentum inferre non erubuerunt; Cogitetur *de Ostracismo*, quo duce Viri etiam optimi maximi sequestrabantur e Reipubl. ne fierent magis venerabiles plebi, denique degeneraturi in Monarchas ad clamorem populi designatos. Cogitetur *de Crimine ambitus* ejusque poena, quæ satis significat, quomodo detestati fuerint tales vi-

ros qui suis opibus prerogativas ambire gestiebant, Severe igitur animadvertendum erat in illos, qui Rempubl. violaverunt in sua Majestate; imo quia filios similes fore Patribus opinabantur, nolebant illis spem honorum & consequenter vindictæ relinquere. Vah quomodo hæc quadrant ad alios status, Certe instar Anciliorum Romanorum peltarumque ad hodiernam militiam; Salva interim ratione status in Rebuspubl. hodie adhuc democraticis v. g. Belgio foederato. Ergo recte sentiunt, qui ante nos illum rigorem, præsertim quoad infamiam alienum a nostris judicarunt foris. Quod enim ad confiscationem honorum, non semper habemus, quæ obstant, filii enim vivis parentibus non habent jus perfectum in bonis patrum, exceptis feudilibus, unde Patres possunt ante mortem illa bona decoquere, quod igitur fit delinquendo, confiscationemque honorum promerendo. Optime igitur judicat Praxis in nonnullis exemplis prostant; Bene scribit de hoc themate B. ZIEGLER. *de Jur. Majest. Libr. I. Cap. 2. §. 36.* Conf. PUFEND. *Element. Jurisprud. Univ. Lib. I. def. 21, §. 7.*

§. V.

Circa crimen abortus procurati communitè respicitur ad animatam foetus constitutionem, quam a dimidio gestionis tempore metiuntur, *vid. Const. Crim. art. 133.* sed veremur, ne exorbitet Praxis, putamusque quod illi recte philosophentur, qui terminum animationis proximius ad conceptionem sibi concipiunt. *Vid. diss. Cl. D. ALBERTI ex professo hoc thema tractans. Vid. etiam pie sentiens B. BRUNNEMANN. in Process. Inquisit. Quam tamen sub censum vocat B. STRYK. Tract. de Jure sensum Disp. VI. cap. 4. n. 34.* Resistere conceptioni in terminis licitis est delictum graviter puniendum; Ergo conceptum infantem expellere, gravius erit animadvertendum; Et quia turpe & atrox omnino est homicidium, abortum procurare, debebamus & hanc praxin in viam rectiorem reducere.

§. VI.

§. VI.

De Magiæ Crimine scribere non placet ; Tribus in-
 terea B. Lectori meditandam relinquimus exorbitantem
 praxin superioris temporis, quæ corpus delicti constituit in
 factis qualia credere non licet. Nos restrictam igitur
 volumus hanc praxin ad mediam viam, quæ hæc est,
 quod statuamus magiæ crimen esse specimen blasphemiæ
 ultimo supplicio dignæ, quæque sustentatur per imagi-
 nationem a diaboli illusionibus corroboratam. Placet huc
 scribere verba DN. PRÆSIDIS, in *Instit. Jurisprud. Univer-*
salis p. 102. sq. Circa veneficium, quatenus significat die Hepe-
rey, nostris seculis erratum fuit in utroque latere, aliis temere
negantibus magiæ criminis corpus delicti, aliis nimis superstitiose
fidem habentibus fabulis & suppositis rerum naturæ contrariis.
Nos manere solemus in media via ; Dantur enim omnino homines
illicitis artibus operam dantes & maligno principio confidentes,
putantesque illo cooperante fieri, quæ vel naturalibus mediis per-
aguntur, vel quæ fieri sibi imaginatione corrupta persuadent.
Blasphemia crimen igitur committit hoc genus hominum, foedus
baptismi violans, estque ultimo supplicio satis dignum, pro ratione
tamen graduum delicti & malitia. Quæ ergo de concubitu cum
diabolo, de peregrinationibus in montem Bructerum, de dracone
promocondo, & in genere de explicitis pactis cum Satana circum-
feruntur dubia hætenus nobis manent. Nec opus erit, ut talia
solicite requiramus, quia ad delictum aliquod sufficit formale
illius, ut in materiali erretur. Cogitetur de adulterio cum
propria uxore.

§. VII.

Videbit B. L. ex his positionibus, quid meditatio-
 nes meæ vehant ; Utatur, si placent, hisce mecum, si
 displicent, sciat mihi multa aliorum dicta atque scripta
 valde etiam displicere ; Significet igitur mihi dissentium
 suum, quo videam qualis sit Apollo, & ut mitram
 meam reverenter detrahere possim.

TANTUM.





Rostock Diss., 1728-32




f

VD18

5b.







B.I.G.

Farbkarte #13

22/6

1732/4

(3/2)

IONES INAUGURALES,
DE

TRINGENDA

PRAXI
ORBITANTE,

QVAS

O CLEMENTER ASSISTENTE,

ET

FACULTATE JURIDICA CONSENTIENTE,

ANNO MDCCXXXII. D. III. APRILIS,

PRÆSIDE

ORE ACADEMIÆ MAGNIFICO,

ERN. JOH. FRID

MANZEL,

DOCT. ATQVE INSTIT. PROF. ORD.

FACULT. JURID. hod. DECANO,

MMIS IN JURE HONORIBUS,

N ACADEMIA PATRIA,

H. L. Q. C.

ANTE ET POSTMERIDIEM

DEFENDET

RUS SEIDLER, ROSTOCH.

JUR. CAND.

ROSTOCHII,

COB. ADLERI, SEREN, PRINC. & ACAD. Typogr.

